

Lexicon

apologus, i, m.; fabula, ae, f.; fabella, ae, f.	pohádka, povídka, příběh
ars (tis, f.) magica	čarodějnictví
bustirapus, i, m.; latro (onis, m.) tumultorum	ghúl, vykradač hrobů
capillus, i, m.	vlas; vlasy
castellum, i, n.; aula (ae, f.) regia	zámek, hrad
cervus, i, m.	jelen
comes, itis, m.	hrabě
comitissa, ae, f.	hraběnka
daemon, onis, m.	démon
draco, onis, m.	drak
equus, i, m.	kůň
faunus, i, m.	skřítek
formica, ae, f.	mraveneček
gladius, ii, m.; ensis, is, m.	meč
incantatio, onis, f.	zakletí; čarování
larva, ae, f.	skřet
lemur, is, m.	zlovolný duch zemřelého
lupus, i, m.	vlk
manis, is, m.	podsvětní duch (dobrý)
monoceros, otis, m.; unicornu, us, n.	jednorozec
monstrum, i, n.	obluda, příšera
numen, inis, n.; diva, ae, f.; nympa, ae, f.	víla, rusalka
nympa (ae, f.) marina	mořská panna
osculum, i, n.; basium, ii, n.	polibek
phantasma, atis, n.	duch
pumilio, onis, c.; nanus, i, m.	trpaslík
rana, ae, f.	žába
regis filia (ae, f.); principissa, ae, f.	princezna
regis filius (ii, m.); regulus, i, m.; princeps, ipis, m.	princ
regium solium (ii, n.)	trůn
regni heres (heredis, c.)	následník trůnu
rex, regis, m.	král
sanguis, inis, m.	krev
silva, ae, f., nemus, oris, n.	les, háj
spelunca, ae, f.; antrum, i, n.	jeskyně
sponsus, i, m.; sponsa, ae, f.	ženich; nevěsta
turris, is, f.	věž
venefica, ae, f., malefica, ae, f.; saga, ae, f.; lamia, ae, f.	čarodějnice
veneficus, i, m.; magus, i, m.	čaroděj
versipellis, is, m.	vlkodlak
vespertilio, onis, m.; striga, ae, f.; vampyrus, i, m.	upír
virga (ae, f.) magica	kouzelná hůlka
vulpes, is, f.	liška
amore flagravit eius	zamiloval se do ní (či naopak :))
artes magicas colere	čarovat
bellum gerere	válčit
(in) equum ascendere	vylézt na koně
equitare	jet na koni
furari; spoliare	krást
incendere	zapálit
liberare	vysvobodit
mutare aliquem in... + akuz.	proměnit někoho v...
necare; interficere; occidere; trucidare	zabít, zavraždit
osculum dare; basiare	políbit
per carmen convertere aliquem in aliam naturam	zaklít někoho (v něco)

APOLOGI APUD ROMANOS

Publius Ovidius Naso (XLIII a. Ch. n. – XVII/XVIII p. Ch. n.) - eius Libri Metamorphoseon omnes fere fabulas versibus narrant, quae aliqua mutatione formae concluduntur, ab informi illa primigenia omnium elementorum confusa congerie, cui nomen Chaos inditum est, usque ad Iulium Caesarem mutatum in astrum. Multae igitur sunt fabulae memoria et laude dignae, quas hoc loco numerare non licet. Nioben tamen illam, propter miram superbiam a Latonae liberis saevissima poena affectam – omnibus enim et filiis et filiabus, quos quattuordecim habebat, intra paucas horas crudeli ac repentino fato orbata fuit „deriguitque malis“ et in saxum mutata est – ; aut Philemona et Baucida, humiles honestosque coniuges eosdemque benignos deorum hospites, miro quodam a diis praemio donatos; aut Orphea eiusque casus et cantus et ipsam crudelissimam necem: hos quidem locos silentio praetermittere non possumus.

Phaedrus (fortasse XV a. Ch. n. – L p. Ch. n.) – materiam ad fabulas componendas, in quibus ferae plerumque loquuntur, ab Aesopo petivit, sed expolire eam voluit. Animadvertendum est etiam quantopere eius interfuerit vitam prudenti consilio monere. Quod autem ad risum pertinet, ridere ille quidem haud semel videtur, eo tamen risu, qui ab animi aegritudine, non iucunditate, oritur. Ille enim humiles homines potentibus obnoxios esse, iustitiam conculcari, virtutes contemni haud aequo animo tulit. Neque fictas tantum fabellas composuit, sed passim narratiunculas interposuit veras, ut illam, quam ipse „veram fabellam“ appellat, de Caesare (Tiberio) ad atriensem, ut illam de Simonide. Saepissime vero beluas agentes et loquentes inducit.

Lucius Apuleius (CXX/CXXV p. Ch. n. – CLXXX p. Ch. n.) – opus quoque, cui nomen est Libri Metamorphoseon (sive Asinus aureus), conscripsit. Novum quidem litterarum genus (si tamen Petronii *Satyricon* libros excipias) hoc opere apud Latinos institutum est, quod a Latinis nostrae aetatis scriptoribus „Romanica fabula“ (Bohemice – *román*) appellari solet. Apuleius Lucium quendam inducit de se ipsum narrantem. Ac primum Lucium accipimus, cum per Thessaliam, magorum magarumque fere propriam sedem atque patriam, iter faceret. Versans ibi in domo amicorum cum audivisset hospitis uxorem magiae peritissimam esse et, quibusdam unguentis oblitam, in quamlibet formam immutari solere, ipse cuiusdam ancillae auxilio nixus in avem mutari voluit, sed unguenti errore in asinum mutatus est. Quam varii deinde, quam multi casus ei acciderint, longum sit recensere, praesertim cum aliae multae inserantur fabulae, quae ad Lucium minus petineant. Fine vero libri X Lucius dulci somno oppressus est et liber XI narratione satis gravi incipit. Nam aguntur hic varia sacra arcana mysteriis, quae dicuntur, similia et religiosum quendam spiritum in toto fere libro sentias. Denique Isis dea eum servavit et Lucius in hominis formam rediit. Praeter hanc fabulam de Lucio asino oportet verba faciamus etiam de apologo de Amore et Psyche narrante:

Narrat igitur in quadam civitate regem et reginam fuisse, qui cum tres filias haberent, omnium pulcherrimam, Psychen, tantam hominum admirationem movisse, ut tamquam altera Venus coleretur. Itaque Phoebus, Veneris instinctu, iubet eam in deserta rupe exponi, ut monstro nubat. Quod monstrum cum omnia animantia tum deos ipsos timent. Illinc Psyche in magicas quasdam aedes aura defertur, ubi arcanae quaedam voces ei mirum in modum serviunt et cibos, balneum, lectum diligentissime parant. Nocte demum sponsus ille occultus venit, occultus ante lucem abit, antequam a puella oculis cernatur. Quin etiam vetat, ne se videre conetur; quod nisi pareat, magna illi mala minatur. At puella, improbis sororum adhortationibus victa, – nam illi sorores invidabant – ac simul metu anxia, ne monstro nupsisset, marito non paruit eumque vidit, non monstrum sed pulcherrimum deum, Cupidinem sive Amorem, esse. Qui mox experrectus exsiluit, visaque detectae fidei coluvie, prorsus ex oculis et manibus infelicissimae coniugis tacitus avolvit. Hunc illa frustra quaerit, Cererem lunonemque frustra orat et rogat. Cum autem ad Venerem ipsam confugerit, tamquam serva detinetur, magnosque atque intolerandos labores iussa subit, arcano quodam auxilio usa. Tandem, cum Iuppiter Veneris iram sedavisset, Psyche, in concilium deorum adscita, legitimas nuptias cum Cupidine iniit. Illis postea filia nata est, quam Voluptatem nominamus.

Haec fere est fabula. Parum vero compertum habemus, quid vere significetur in opere Apulei, variae enim sunt opiniones. At ipsum nomen – Psyche – casusque, quibus occurrit, haec monere videntur, hominum animos, cum amorem quaerant, multis laboribus exerceri, multas regiones periculorum ac dolorum plenas peragrare; postquam vero amorem illum consecuti sint eoque frui coeperint, sublimes se extollere atque ipsum caelum attingere.